



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Rebus sacris, sanctis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

*De rebus Sacris, Sanctis, & Religiosis.*

## T I T. XIX.

**A**bsoluto Sacramentorum tractatu, restat ut de *rebus sacris, sanctis & religiosis* videamus.

Sunt *res sacra & sancta*, quæ principaliter ad cultum divinum sunt comparatæ; ut *Ecclesia, Altaria, Sanctorum reliquia, vasa, vestes.*

*Res religiose* sunt, quæ piis usibus sunt destinatæ; ut, *religiosa domus, xenodochia, orphanotrophia, nosocomia, gerontocomia, coemeteria, sepultura.*

*De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.*

## T I T. XX.

**E***ccllesia* hoc loco non significat cœtum fidelium, sed ædes sacras, seu domum Deo dicatam ad Sacramenta & officia divina celebranda, etiam templum appellatam. *c. 2. in princ. de consecrat. dist. 1.* Nam post consecrationem, quæ & dedicatio dicitur, appellatur *Ecclesia*; ante eam *Basilica. c. 1. de relig. domib. & ibi Gl. & c. 2. de consecrat. dist. 1.*

De Ecclesia tria tractanda. 1. *Constructio.* 2. *Consecratio.* 3. *Immunitas.*

*Constructio*, est duplex: aut enim Ecclesiæ novæ ædificantur; aut veteres collapsæ vel collapsuræ instaurantur seu reparantur. *c. 1. & 2. hic.*

Novæ ædificantur; si justa causa id suadeat; *c. fin. hic.* ut si fructus unius Ecclesiæ sint sufficientes ad duas, & parochia latiores habeat fines quàm tempore hyberno possint accolæ in unam convenire: *c. ad audientiam. 5. hic.* si temporis qualitas exigat: *c. 48. & temporis qualitas. 16. qu. 1.* vel notabile populi incrementum: *c. 50. felix. c. 51. multis. c. 53. precipimus. 16. qu. 1.* si in præjudicium alterius non fiat: *c. 43. Ecclesia. c. 44. quicumque. 16. qu. 1. c. 1.*